

TOMUS XXXIV.
MISCELLANEOUM.

~~G.V.f.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

V-45.

SIGNAT. MDCCCXIII.

6 bände:

10 I
THESES THEOLOGICAE,
de sensu illius dicti, Luc. 18.

FILIVS HOMI-
NIS, CVM VENERIT,
NUM REPERTVRVS EST
FIDEM IN TERRA?

Propositæ ad disputandum,

A

DANIELE TOSSANO S. THEOLO-
GIÆ D. ET PROFESSORE.

Respondente

IOHANNE HOLTSHALBIO TIGVRI-
NO, S. THEOLOGICÆ STUDIOSO.

In auditorio Theologico ad d. xiv. Iunij.



HEIDELBERGÆ,
Typis Abrahami Smeismanni,
c10 10 xcv.



DANIEL TOSSANVS S. THEO-
LOGIÆ STUDIO SIS. S.

CVM S. Scriptura nobis proſit, non ſolum $\omega\epsilon\delta\varsigma$ διδαſκα-
λιαυ, $\kappa\alpha\iota$ $\acute{\epsilon}\lambda\epsilon\gamma\chi\omicron\nu$: verum etiam utiliſſimas & perneceſ-
ſarias habeat v θ $\theta\epsilon\sigma\iota\alpha\varsigma$: videtur mihi opera pretiũ, vt tum in
lectiõibus tũ in diſputationibus noſtris, præter didaſcalica &
elenchtica, etiam ea tractentur, quæ ad vitæ emẽdationem, &
meditationem vltimi illius aduentus Chriſti faciunt: noſq; de-
prauato hoc, & ingrato ſeculo, cõtra ſummum verbi diuini ac
piorum miniſtrorum contemptum cõſolari, & erigere poſſunt:
Et me quidem (quod ingenuè dico) ſæpe exanimaret triſtis hæc
rerum facies, tantaq; fidei ſinceræ, & fidorum & ſincerorum
hominum penuria, niſi de his rebus occurrerent in Scripturis
prædictiones, qualis in primis illa eſt Seruatoris noſtri: Filius
hominis quando veniet: num reperturus eſt Fidem
in terra? Idipſum certè excitat in omnibus piis eò ardentius
deſiderium vltimi illius aduentus Domini noſtri Ieſu Chriſti:
illiusq; beatiffimæ horæ, qua rapiemur in occurſum tam beni-
gni Seruatoris, & in ſuauiſſimum illum cœtum fidelium &
ſanctorum, vbi erit ſcientia ſine errore, gaudium ſine mæro-
re, caritas ſine fũco & hypocrifi, vita ſine languore & metu
ullo mortis. Veni itaque Domine Ieſu: veni citò.





II

THESIS PRIMA.



Vò magis appropinquat vltimus ille Domini nostri Jesu Christi aduentus: eò diligentius expendi omnino dicta illa, ac monita Seruatoris debent, quæ vltimum illum aduentum respiciunt.

II.

Certum est autem, inter alia tale esse, & ad vltimum Filij Hominis aduentum pertinere, quod Luc. 18. v. 8. pronunciat Dominus noster Iesus, his verbis: *VERVM TAMEN Filius hominis, quum venerit, num reperturus est fidem in terra?*

III.

Illud enim Epiphonema, cuius cum præcedentibus cohærentia haud facillè cernitur: non est simpliciter ad proximè præcedentia referendum, velut de citò vindicandis electis: vel de perseuerantia in oratione: sed ad totum illud argumentum, quod paulò antè copiosè tractauit Christus cap. 17. à versu 20. ad finem capitis: vbi de vltimo illo, & improuiso suo aduentu, ac de complemento regni Dei, quod per prædicationem Euangelij incoatur, nec non de summa securitate hominum post prædicatum Euangelium, differit.

IV.

Cæterùm, interrogatio illa Christi, haudquaquã est accipienda, vt simplex negatiua: ac si negaret filium hominis vllam planè fidem reperturum in vltimo suo aduentu: verùm tanquam commonefactio,

A ij qua

qua negatur, & per interrogationem perstringitur eorum opinio, qui sub vltimum Christi aduentum aureum aliquod in terris seculum: & generalem hominum conuersionem sibi pollicentur,

V.

Luc. 17. v. 20.
Act. 1. v. 6.

Ac Pharisei quidem ipsi paulò antè de Regno Dei multa quæsierant, & Apostoli post Resurrectionem Christi, sibi persuadebant, propediem instaurandum esse regnum Israëlis: vt & multi ante mundi finem plenam Ecclesiæ instauracionem expectant: in qua extinctis erroribus omnibus & dissidiis, vnum sit ouile, & pastor vnus ab omnibus agnoscatur.

VI.

Luc. 17. v. 22.

Matth. 24.

At contrà, Christus de fine mundi differens, pseudochristorum aduentum, confusiones summas, varias calamitates, suis discipulis prædixit, & tales angustias, vt sæpè sint optaturi videre vnum ex diebus Filij hominis, nec sint tamè visuri: quæ angustia non solùm vltimam Hierosolymæ vastationem, sed & vltimam mundi clausulam sint præcessuræ.

VII.

Heb. 5. v. 7.

Per dies autem Filij hominis ibi intelliguntur dies carnis eius, vt loquitur Apostolus: iue conuersationis in hoc mundo, quando eos ad tempus Christus molliter, & quasi in sinu fouit, nullisque persecucionibus obiecit: quasi dicat. Optabitis sæpe me vobis in terris adesse, & vos ita omnibus curis liberari, vt dum vixi vobiscum in terris.

VIII.

1. Corinth. 1.
7. 2. Timot.
4. 8.

Nam aliàs nec reprehenduntur illi, nec sua spe frustrabuntur, qui vltimum illum diem eius, & aduentum diligunt atque expectant. Et hæc quidem de occasione illius dicti. Nunc de sensu primùm; deinde de vsu eiusdem aliquid dicendum.

Appella-

Appellatio FILII HOMINIS in N. Testamento
vfitatissima, ac primùm vsurpata Matth. 8. v. 20. non
nudum hominem, (vt somniant hæretici) sed Chri-
stum, siue totam personam Mediatoris designat: in-
terpretibus Apostolis in sua Confessione, Matth. 16.
qui profitentur Filium hominis esse simul Filium Dei
viuentis.

X.

Illa porrò appellatione videtur Christus delecta-
tus, tum ob statum humilitatis, & formã serui, quam
assumerat, tum vt indicaret se esse illum filium ho-
minis, verumque hominem, de quo Daniel ca. 7. qui
quod in priore Adamo amiseramus, restitutus
erat: ac deniq; semen illud mulieris promissum, per
quod in carne nostra abolere debuit regnum Diabo-
li & peccati.

XI.

Dei enim Filius venit in carnem nostram; & de il-
lo priore aduentu sonant hæc loca: Matth. 11. *Venit Fi-
lius hominis edens ac bibens, &c.* & Mar. 10. *Filius hominis
non venit, vt sibi ministraretur, sed vt ministraret, & daret
animam suam redemptionis pretium pro multis,* & 1. Ioh. 4.
*Quicumque Spiritus non confitetur Iesum Christum in car-
nem venisse, ex DEO non est.*

XII.

De altero verò aduentu glorioso in nouissimis die-
bus, loquitur Christus: Matth. 24. *Videbunt Filium ho-
minis venientem in nubibus cæli cum potentia, & gloria mul-
ta.* Item Apocalyps. 1. *Ecce venit cum nubibus, & videbit
eum omnis oculus, &c.* & in hoc dicto Luc. 18. *Filius homi-
nis, cum venerit, num reperiturus est fidem in terra?*

XIII.

De illo ipso aduentu prophetasse dicitur in Epi-
stola

A iij

stola

stola B. Iudæ, septimus ab Adam Enoch, dicendo: *Ecce venit Dominus cum sanctis millibus suis, ut ferat iudicium aduersus omnes, & redarguat quicumque ex ipsis sunt impij.*

XIV.

In illo aduentu (quemadmodum per interrogationem innuit seruator) vix futurum est, vt fides reperiat in terra.

XV.

Per Fidem, nonnulli fidelitatem, candorem, integritatem, intelligunt: eo sensu quo Psal. 12. *fideles*, vel vt alij vertunt, *veraces*, defecisse dicuntur inter filios hominum.

XVI.

At nos hoc loco FIDEM, pro Fide illa erga Deum, quæ eius certam notitiam, salutaremque fiduciam in eius promissiones, cum energia caritatis & bonorum oporum complectitur, & quæ propriè FIDES dicitur, intelligimus: moti his rationibus, quòd illa est radix veræ orationis, de qua paulò antè Christus: & quòd Seruator eodem tempore prædicebat multos venturos Antichristos, & tantas futuras confusiones, vt si fieri possit, seducerentur electi: Moti etiam simili prædictione, quæ extat, 1. Tim. 4. futurum, vt nouissimis temporibus quidã recedant à *fide*, attendentes spiritibus deceptoribus ac doctrinis Dæmoniorum.

XVII.

Matth. 7.
Matth. 15.

Fidem enim non censet Dominus Deus, vt hominum plerique, externa professione, quæ multis est in ore: qui dicunt, Domine, Domine, nec interim eis est cordi pietas, quin potiùs cor eorum à Domino procul abest.

XVIII.

Nec censet eam aliqua cognitione veritatis, vt si quis

IV

quis credat quidem Christi diuinitatem, non autem
humanæ naturæ veritatem, vel contrà. *Non tenet per-*
fectam veritatem (inquit Tertull.) *quisquis veritatis ali-*
quam excluderit portionem. Et Hilarius: *Omnes heretici*
Scripturas sine sensu loquuntur: Fidem sine Fide præten-
dunt.

Lib. de Tri-
nit.

Contra cōst.
August.

XIX.

Ita nec vera fide præditus erat ille Pharisæus, de
quo Lucas infra vers. 11. qui non tam Dei misericor-
diam, quàm sua opera prædicabat: nec illum excu-
sabat, quod Deo gratias agebat, cùm inflatus esset o-
pinione suæ iustitiæ, & sibi nihil ampliùs deesse, inani
fiducia præsumeret.

XX.

Nam, vt pulchrè Basilus scribit, ea demùm perfe-
cta, & omnimoda gloriatio est in Deo, quando non
propter suam ipsius iustitiam quis extollitur: sed a-
gnoscat se vera destitui iustitia, ac SOLA in Chri-
stum Fide iustificatum esse: sicut in eo gloriatur Pau-
lus, quod suam ipsius iustitiam contemnens, sectetur
per Christum eam iustitiam, quæ ex Deo est in fide.

Tom. 1. ser-
mon. de Hu-
miliatr.

Philip. 3.

XXI.

Ita etiam rectè colligunt Patres, B. Cyprianus &
Augustinus, emarcuisse fidem in mundo, iuxta hoc
dictū Christi, Luc. 18. *Filius hominis, cùm venturus est, an-*
putatis eum fidem reperturum: quãdo quidem, tam pauci
afficiuntur minis iræ Dei, & expectatione futuri iu-
dicij: Hodie, (inquiunt,) in Dei timore, in dilectione
syncera, in operibus nulla fides est: Nemo credit, aut
metuit futura supplicia: Quæ metueret conscientia,
si crederet: si crederet, caueret: si caueret, euaderet.

Cypr. de v-
nitate Ec-
clesiæ.

August. ser-
mon 146. de
tempore.

XXII.

Ne ergo erremus, & nobis ipsis imponamus, falsa
fidei imaginatione aut gloriatione; cùm Christus
pro

pro nulla fide habeat fidem illam inanem, mortuam, oralem; non quòd infirma fides ab eo reiiciatur, sed quòd hypocrisis ei displiceat, & securitas, & omnis mutilatio sanæ doctrinæ.

XXIII.

Obiectio-
nes.

Verùm hîc duo potissimùm obiici solent. Primum, cùm sit vetus querela, etiam apud Prophetas, vt Esa. 59. & Ierem. 7. corruisse in plateis veritatem, & periisse fidem, cur id demum Christus dicat in nouissimo ipsius aduentu repertum iri?

XXIV.

Ef. 11.
Ef. 54.

Altera obiectio est: Quomodo conueniat hæc prædictio cum tot oraculis de felicitate nouissimorum temporum, quibus terra plena sit futura cognitione Jehouæ, & omnes à Deo edocti futuri?

XXV.

Ad priorem obiectionem respondet Augustinus Epist. 80. quæ est ad Hesyrium: nunquam quidem defuisse tales homines, perfidos scilicet & erga Deum impios: sed abundantissimos fore, quando finis instabit: & eò magis detestandos, quò maior lux vltimis temporibus illuxerit.

XXVI.

Et huc facit simile Chrysostomi: In senectute notitiam quidem, & iudicium crescere: sed minui vires & energiam in actionibus: Sic notitiam quidem nouissimis temporibus non defuturam; sed energiam veræ pietatis.

XXVII.

Et certè indicat experientia, nullam esse maiorem & turpiorem stultitiam, quàm eorum, qui doctrinæ, aut sapientiæ laudem habuere: & quò maior amicitia eò grauiores esse inimicitias, quando ab vno ad alterum fit declinatio, vel degeneratio, quod & in alius re-

liis rebus naturalibus cernitur. Nam, quò præstan-
tius fuit vinum, eò acrius fit acetum.

XXVIII.

Adfert Scriptura & hanc rationem, quod mun-
dus pœnas iustas dabit contemptæ veritatis: vt in sum-
mas tenebras ruant, qui lucem contemserunt, & effi-
cacia erroris in illis vigeat, qui veritatem ludibrio ha-
buerunt.

XXIX.

Denique quemadmodum priorem Christi ad-
uentum summæ tenebræ & confusiones præcessere:
quæ res eò maiorem necessitatem aduentus Messia
patefecit: & eiusdem eò intensius desiderium in pio-
rum animis excitauit: sic circa vltimum Christi ad-
uentum accidet.

XXX.

Ad alteram obiectionem quod attinet, luculentæ
quidem extant de nouissimis temporibus promissio-
nes apud Prophetas: Sed illæ respiciunt Christum, &
gratiam mundo exhibitã, eamq; non solis Iudæis, sed
& variis populis communicatam: Christus autem il-
lo dicto Lucæ 18. spectat mundi ingratitude &
pœnas, quas ob securitatem, ac fastidium veritatis
daturus est: vt videlicet iusto Dei iudicio partim er-
roribus fascinetus: partim pertæsus doctrinæ Euan-
gelicæ, vel fidem ipsam, seu salutarem Christi noti-
tiam, vel fidei energiam, quæ in sanctis operibus,
sancta que conuersatione posita est, amittat.

XXXI.

Et huc accedit, quod in huiusmodi vniuersalibus,
Omnes erunt docti à Deo: Tota terra scientia Dei replebitur,
ἡ καθόλου sunt distinguenda: Alia enim sic sunt vni-
uersalia, vt vniuersaliter intelligantur, vt: Deus con-
didit omnes creaturas: Deus seruabit omnes electos:

B quæ

Arist. de In-
terpr. cap 7.
& in Metap.

Es. 54.
Ioh. 6.

quæ propositiones vocantur καθόλα ὡς καθόλα: Alia restringuntur, & vocantur καθόλα ὡς μὴ καθόλα, ut hæc, *Omnes erunt docti à Deo*, id est, interprete Esaia, vniuersi filij Ecclesiæ, & vera eius membra: & interprete Christo, Omnes dati Filio à Patre, & venientes ad Filium.

XXXII.

Vide Chry-
sost in illum
locum 2.
Tim. 3.

Idcirco & D. Paulus, id quod Christus Luc. 18. indefinite dixerat, *An putatis Filium hominis cum venerit, inuenturum fidem?* magis restrictè enunciat 1. Tim. 4. & 2. Tim. 3. *Nouissimis temporibus quidam deficient à Fide.* Sic & D. Petrus cap. 2. Ep. 2. *Multi sequentur eorum exitia, per quos via veritatis blasphemabitur*: quod non solum de Manichæis, Encratitis aut paucis aliis, sed de omnibus seductoribus intelligendum est.

XXXIII.

Est enim tenendum illud axioma: Nos vsque ad mundi finem credere Ecclesiam; & per consequens, cœtum aliquem fidelium, & in fide perseverantium, siue ouicularum Christi, & vocem pastoris audientium; quos nemo rapiet de manu eius.

XXXIV.

1. Pet. 1.

Rom. 8.

Quemadmodum ergo Scriptura prædicit lapsum multorum, & summam in nouissimis temporibus verbi diuini nauseam, contemptum, & non paruam à fide defectionem: ita etiam promittit, fore, ut nonnulli virtute Dei per fidem custodiantur ad salutem, quæ parata est patefieri tempore vltimo; quibus datum est vincere & ad finem perseverare, & attollere capita in mediis mundi ruinis, & cum omnibus aliis rebus creatis quasi exerto capite expectare reuelationem filiorum Dei.

XXXV.

Vsus porro illius commonefactionis Christi, Luc. 18. *Filium:*

18. *Filium hominis, quando veniet, fidem vix reperturum in terra: multiplex est: Nam & Chiliastarum errorem redarguit, & nos admonet de pœnis contemptæ veritatis, eorum inprimis, qui hodiè ambitioni seruitutes, perpetuò contendēdo, veritatem & fidem amittunt, quam iam ex suorum maiorum placitis, iam ex contradictoriis, suis suorumque, scriptis, peti volunt.*

XXXVI.

Excitat nos etiam illa commonefactio ad orandum, vt Deus nobis fidem adaugeat, nosque verbo veritatis suæ sanctificet, vt in illo numero & grege fidorum seruorum maneamus, qui sollicitè expectant Dominum, & iucundam illam vocem in nouissima die audient: *Euge serue bone & fidelis: In paucis fuisti fidelis, super multa te constituam: Ingredere in gaudium Domini tui.*

Matth. 25.

XXXVII.

Denique reprehenduntur eorum speculationes, qui multa curiosè de tempore & momento aduentus Christi, & disputare & definire volunt, cùm potius in Dei verbo sit acquiescendum, & opera danda, vt vera fide instructos nos dies illa reperiat.

FINIS.



Umg. VI 45


ULB Halle 3
002 379 767



s. b.

WDA





10 I

THESES THEOLOGICAE,
de sensu illius dicti, Luc. 18.
FILIVS HOMI-
NIS, CVM VENERIT,
NUM REPERTVRVS EST
FIDEM IN TERRA?

Propositæ ad disputandum,

A

DANIELE TOSSANO S. THEOLO-
GIÆ D. ET PROFESSORE.

Respondente

IOHANNE HOLTSHALBIO TIGVRI-
NO, S. THEOLOGIÆ STUDIO.

In auditorio Theologico ad d. xiv. Iunij.



HEIDELBERGÆ,
Typis Abrahami Smeismanni,
c 1 0 1 0 x c v.

